



Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CONCILIIS, ET|| ECCLESIA MILITANTE,|| QVATVOR LIRBRIS||
COMPREHENSA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XIX. Soluuntur argumenta aduersariorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53873](https://nbn-resolving.de/urn/resolver.pl?urn=urn:nbn:de:hbz:466:1-53873)

renemur seruare promissa; non tamen ex vi sententiæ, quia non possunt arbitri cogere.

Iam ergo summus Pontifex non potest iudicem propriè dictum supra se constituere, sed tantum quodammodo arbitros, quorum sententiæ si nō obtemperauerit, faciet quod non debet, non autem quod non potest.

Prima pars probatur. **P R I M O**, quia potestas Papæ super omnes, est de iure diuino, ut patet. at nō potest Papa dispensare in iure diuino. **S E C V N D O**, quia nō potest inferior committere alicui iudicium reseruatum superiori. Non enim potest Episcopus committere suo pœnitentiario, ut absolutus in casibus reseruatis Papæ; at iudicium in causa Pontificis est reseruatum Deo, ut supra docuimus. **T E R T I O**, quia sequeretur Papam esse superiorem, & non superiorem, respectu eiusdem, quæ est implicatio contradictionis. id autem sequi, hac ratione ostenditur. Summus Pontifex, cum se ac suam causam iudicio alicuius committit, non desinit esse Papa, ergo nec desinit esse superior quocunq; Christiano; at nihilominus non est superior, sed inferior, si cogi potest; erit igitur simul superior, & non superior.

S E C V N D A pars patet ex **S I X T O** III. Leone III. Symmacho, Leone IV. & aliis, qui cum accusarentur, causas suas in Concilio Episcoporum discuti voluerunt, ut patet ex can. Mandatis, & can. Auditum, 2. quest. 5. & ex Concilio IV. sub Symmacho; quos tamen Episcopi iudicare ausi nō sunt. Unde in Cōcilio I V. sub Symmacho, omnes Episcopi cum subscribunt, affirmant, se totum iudicium Deo relinquere.

C A P V T X I X.

Soluuntur argumenta aduersariorum.

SUPER EST argumenta soluere. Ac primùm Hermannus lib. 3. cap. 12. Prolegomenorum, obiicit aliquot exempla veterum. **S E C V N D O** argumen- ta quædam ex Gersone. **T E R T I O** aliud quod- dam ex Concilio Basileensi.

P R I M U M exemplum est Marcellini, qui in Concilio Sinesiano ab Episcopis damnatus, & depositus fuit. Respon-

MM 3 deo *

deo PRIMO, Marcellinum fuisse accusatum de actu infidelitatis, in quo casu potest Concilium discutere caussam Pontificis, & si inueniat, reuera esse infidelem, potest declarare eum esse extra Ecclesiam, & sic damnare. SECUNDO dico Episcopos quidem damnasse Marcellinum, sed postea quia ipse primus se ipse damnauerat, id est, abdicauerat se ponsificatu; nam antea saepe clamauerant: *Prima sedes à nemini iudicabitur, tu reus, tu index, noli à nobis indicari,* &c. VII Nicolaum I. in epistola ad Michaëlem.

SECUNDVM exemplum est Milthiadis Papæ, post cuius sententiam iudicauit eandem caussam Episcopus Arelatensis, ut testatur Augustinus in epist. 162. ad Glorium & Eleusum vbi etiam addit AVGVSTINVS: *Ecce, inquit, putemus illi Episcopos, qui Roma iudicauerunt, non bonos iudices fuissent.* Restabat adhuc plenarium Ecclesia Uniuersæ Concilium, etiam cum ipsis iudicibus caussa posset agitari. Ut si male dicasse conuicti essent, eorum sententia soluerentur.

RESPONDEO ad illud de Episcopo Arelatensi ex eodem Augustino ibidem, eam caussam iterum iudicatam fuisse non quia oporteret, sed quia voluit Imperator acquiesceret. Donatistis petentibus aliud iudicium, si forte in duobus iudiciis condemnati sanarentur. AD illud de generali Conclio dico, Augustinum non conferre Papam sine Conclio, cum Conclio sine Papa, ut nos modò conferimus, sed conferre Conclium particulare, cui præsit Papa, cum Conclio generali, cui etiam præsit Papa. Potest autem sine dubio caussa iudicata à Pontifice in Conclio particulari, iterum ab eodem iudicari in Conclio generali, præsertim in qua stione facti, quæ pendet ex informationibus, & in qua errat potest Ecclesia, qualis erat quæstio, de qua tunc agebatur immò etiam ordinariè, in dicto Conclio generali, olim habuerant Conclilia particularia prius in singulis prouinciis, & tiam Romæ, & deinde res definitæ in illis Concliliis particularibus iterum tractabantur in Conclio generali, & tum dabatur ultima, & definitiva sententia à Pontifice, Conclio assidente.

TERTIVM est Liberij, quem Imperator depositus, & postea restituit in suam sedem, iubens, ut simul cum Felice Romæ Ecclesiam regeret, quod idem iussit Conclium Syrmium, fe lito

se literis datis ad Felicem, ut refert Sozomenus lib. 4. cap. 14. RESPONDEO, Imperatorem Arianum id fecisse iniuste & tyrannice, quomodo etiam Nero Petrum & Paulum interfecit. Concilium autem Syrmense non iussit, sed tantum literas exhortatorias misit ad Felicem, ut pateretur secum simul sedere Liberum. Adde, quod Concilium illud præcipue Arianorum fuit, & nullius momenti.

QVARTVM est S. Leonis, cuius epistolam in Concilio Chalcedonensi multi Episcopi examinarunt, ut refert Euagrius lib. 2. cap. 18. & ipse etiam Leo epist. 63. gloriatur epistolam suam à Concilio approbatā fuisse. RESPONDEO, hinc non sequi Concilium esse supra Papam; nam Leo epistolam suam miserat ad Concilium, non ut continentē ultimam, & definitiū sententiam, sed ut instructionē tantum, qua adiuti Episcopi melius iudicarent. Posteaquam autem omnes cōsenserunt epistolæ Leonis, tum deīnum edita est definitio ultima nomine Pontificis, & Concilij. Hæc de exemplis.

SECUNDO, proponit argumenta Gersonis, ac primum est illud Matth. 18. dicitur: *Si peccauerit in te frater tuus, eccl. dic Ecclesia.* Sed Papa est etiam frater noster, cùm sit Christianus, & dicere debeat, Pater noster qui es in cœlis; potest igitur Papa ad iudicium Ecclesiæ vocari, proinde ab Ecclesia iudicari, ac puniri potest: non autem quidquam agit Ecclesia, nisi per prælatos suos, igitur prælatorum Concilio Papa iudicari potest.

RESPONDEO, nomine Ecclesiæ, vel intelligi Episcopum, ut exponit hoc loco Chrysostomus, & Innocentius III. capite Nouit, extra de iudiciis, & praxis Ecclesiæ demonstrat, quotidie enim Episcopo denunciantur ij, de quibus Dominus ait: *Dic Ecclesia;* vel certè fidelium cœtum cum suo capite. Nam ut Cyprianus ait in epistola ad Florentinum, quæ est nona libri 4. Ecclesia est plebs sacerdoti adunata, & pastoris suo grec adhærens. Quare in quocunq; Episcopatu defendi sunt peccatores ad Ecclesiam, & Episcopum eius loci, sed si is Episcopus peccet, non potest deferri ad eam Ecclesiæ, nisi debeat deferri ad seipsum, cùm ipse sit caput eiusdem Ecclesiæ, sed defensus est ad Ecclesiam aliquam altiorrem, cui præst Archiepiscopus, vel Patriarcha: si vero peccet Patriarcha, defensus non potest ad Ecclesiam suam, sed ad

maiorem, id est, ad Romanam Ecclesiam, vel generale Concilium, cui summus Pontifex praesidet: quod si ipse summus Pontifex peccet, iudicio Dei reseruandus est; non enim nulla Ecclesia, ad quam deferri posset, cum sine ipso non ueniat Ecclesia cum capite.

„ SED iterum instant; Hæc verba, *dicit Ecclesia*, dicta sunt Petro, ergo etiam Petrus, & eius successor debet deferre per catores aliquando ad Ecclesiam, debet igitur agnoscere bunal Ecclesiæ quoddam suo maius.

RESPONDEO, quando hæc dicta sunt Petro, non solum eum adhuc Pontificem, sed hominem priuatum, proinde lud ei dictum, quod iis conuenit, qui superiorem aliquem agnoscunt. Addo præterea, suo quodam modo posse Pontificem hoc preceptum implere; primùm enim debet eum, qui peccauit, corripere priuatim; deinde adhibere testes; postmodum dicere Ecclesiæ, id est, sibi ipsi, ut praesidi, & Ecclesiæ, ut ipse praest, id est, publicè eum excommunicare. Quomodo intellexit hunc locum B. Gregorius lib. 4. epist. 38. ad Ioannem Constantinopolitanum Episcopum.

„ Argumentum SECUNDVM; Papa est membrum Ecclesiæ, ergo est minor suo toto, quod est Ecclesia, & potest, & debet amputari, si inficiat Ecclesiam, quia de iure naturæ est membrum insufficientia totum corpus absindantur.

RESPONDEO ad primam consequentiam, vel accipiunt Ecclesia cum Papa, vel sine Papa, quādō colligitur; ergo Propterea membrum est minor Ecclesia, quæ est totum. Si accipiatur Ecclesia sine Papa, falsum est illam esse totum; non enim est totum, sed pars, & quidē maior, quām caput magnitudine molis, minor autē magnitudine virtutis, siue auctoritatis, ut patet in quolibet corpore. Quod autem aduersari dicunt, auctoritatem capitum manere in Ecclesia suppletuim est refutatum antea. Si autem accipiatur Ecclesia cum Papa, tunc, ut alias diximus, maior est auctoritas Ecclesiæ extensiūe, quām Papæ solius, intensiūe autem æqualis. Sicut ens ut comprehendit Deum & creaturas, non est maius bonum, quām sit solus Deus intensiūe, tametsi extensiūe est maius, quia sunt plura bona; sicut etiam Christus ut homo est caput homogeneum Ecclesiæ, & proinde pars eius, & item non est maior Ecclesia tota, quām Christus solus.

AT CON-

AT CONTRA instant; Semper potentia agendi principia-
lius est in toto, quām in partibus, quæ sunt instrumenta to-
tius; principalius enim dicitur homo videre, quām oculus,
quare cum Ecclesia inclusa etiam Papa, sit quoddam totū,
& Papa sit pars quædam, & instrumentum huius totius, se-
quitur, principalius conuenire ipsi Ecclesiæ summam pote-
statem Ecclesiasticam, quām Papæ.

RESPONDEO, aliud esse iudicium de corpore Ecclesiæ, ac
de corporibus naturalibus; nam in corporibus naturalibus
virtus procedit ab essentia ad potentias, ideo principalius di-
citur totum agere, quām illa pars, seu potentia; at in corpo-
re Ecclesiæ virtus non procedit ab essentia ad potentias, seu
partes; sed ab extrinseco; Papa enim, qui est caput Ecclesiæ,
non habet ab Ecclesia, sed à Deo auctoritatem, & ideo prin-
cipale agens, nō est Ecclesia, sed Deus. SECUNDО dici potest,
principale agens in quolibet corpore semper esse ipsum sup-
positum, quod sustentat & mouet omnia membra. Porro sup-
positū corporis Ecclesiæ est Christus. Ut enim cùm dicimus,
hoc est corpus Petri vel Pauli, illud Petri vel Pauli, sonat sup-
positum; ita cùm dicimus, Ecclesia est corpus Christi, illud
Christi sonat suppositum. Neq; obstat quod Christus sit etiā
caput Ecclesiæ; nam Christus, ut influens in omnia membra,
dicitur caput, ut autem sustentat & mouet omnia, dici potest
suppositū, & hoc modo concedimus, Papam esse instrumen-
tum corporis Ecclesiæ, & quoddam minus ipso toto, ut ni-
mirum in toto Christum ipsum, ut suppositum, includimus.

Ad alteram consequentiam posset dici. PRIMO, de iure
naturæ esse, ut absindatur membra putrida, sed excepto ca-
pite. melius enim est habere caput putridum, quām nullum.*
Sed hæc solutio parū valet; nam in corporibus naturalibus
debet excipi caput, quia eo amputato, totū corpus moritur.
At corpus Ecclesiæ non moritur moriente Papa; vnde etiam
videmus in Republicis temporalibus, si Rex degeneret in
tyrannum, licet si caput Regni, tamen à populo deponi, & e-
ligi aliu. Dico ergo SECUNDО, in corpore naturali & Rebus
publicis temporalibus posse abscondi membra inficiētia to-
tum corpus, quia ab ipso corpore pendent, & vim habent; at
nō eadem ratio est corporis Ecclesiæ, cuius caput non à cor-
pore, sed à Deo auctoritatem accepit, sicut etiam non licet

familiae deponere summum œconomum , licet pessimum,
quia non à familia, sed à Domino institutus est.

” AT, IN QVINT; ergo sola Ecclesia sine remedio manet,
” si habet malum Pontificem , & poterit Pontifex impunè o-
” mnes vexare, & perdere, & nemo resistere poterit.

R E S P O N D E O , nō mirum, si manet Ecclesia sine remedio
humano efficaci, quandoquidem non nititur salus eius præ-
cipuè humana industria, sed diuina protectione, cū eius Re-
Deus sit. Itaq; etiam si Ecclesia non possit deponere Pontifi-
cem, tamē potest ac debet Domino supplicare ; vt ipse reme-
diū adhibeat: & certum est Deo fore curæ eius salutem, qui
talem Pontificem vel conuertet, vel de medio toller , ante-
quā Ecclesiam destruat. Nec tamen hinc sequitur, non licet
resistere Pontifici Ecclesiam destruenti ; licet enim eum ser-
uata reueretia admonere , & modestè corripere , repugnat
etiam vi & armis, si Ecclesiam destruere velit. Ad resistendum
enim, & vim vi repellendam, non requiritur vlla auctoritas.
Vide de hac re Ioannem de Turrecremata, lib. 2. cap. 106.

T E R T I V M argumentum Gersonis ab Hermanno relatū
” sumitur ex Concilio Constantiens. Concilium Constanti-
” ense sess. 4. definiuit, Concilium generale habere à Christo
” immediatam auctoritatem, cui omnes obedire tenentur,
” tiam si Papalis dignitatis existat. Vel hoc Conciliū est appro-
” batum, vel non : si est approbatum, ergo verum est, & recipi-
” endum, quod definiuit : si non , ergo perperam depositum lo-
” annem XXIII. Gregorium XII. & Benedictum XIII. & elegit
” Martinum V. cui postea omnes alij Pontifices successerunt.
” A D D E S, quod Martinus V. Papa in ultima sessione confirmar-
” uit omnia decreta circa fidem huius Concilij Constantien-
” sis : hoc autem decretum ad fidem pertinere videtur.

R E S P O N D E O dupliciter. P R I M O , Concilium Constan-
tiense esse legitimū & approbatum, sed non pugnare cum
iis, quæ diximus. Non enim definiuit absolutè, Concilia ge-
neralia habere à Christo potestatem supra Pontifices, sed
tantum in casu, id est, tempore schismatis, quando nescitur,
quis sit verus Papa ; nam dubius Papa habetur pro nō Papa,
& proinde habere super illum potestatem , non est habere
potestatē in Papam. Ita Turrecremata, Campegius, & San-
derus locis notatis.

S E C Y N D O

SECUNDO, responderi potest, nō fuisse Concilium Constantiense, cùm id afferuit, eiusmodi, ut quæstiones de fide definire posset; nam in primis non erat tunc generale Concilium, cùm tantum ad esset tertia pars Ecclesiæ, id est, iij tantum Prælati, qui obediebant Ioanni; nam qui obediebant Gregorio & Benedicto, repugnabant iis, quæ à Synodo fiebant. Deinde non aderat tunc certus Papa in Ecclesia, sine quo dubia de fide definiri non possunt; in Concilio autem nullus erat Papa. Ioannes enim XXIII. qui Concilium inchoauerat, iam inde recesserat, cùm quarta sessio haberetur.

Neq; verum est, quod Martinus V. confirmauerit hoc decretum. Ipse enim disertè dixit, se confirmare tantum ea decreta de fide, quæ facta erat conciliariter, id est, more aliorum Conciliorum, re diligenter examinata; constat autem hoc decretū sine ullo examine factum à Concilio Constantiensi. Itaq; Martinus cùm confirmauit decreta de fide conciliariter conclusa, intelligebat tantum de damnatione hæresum Wicleffii & Hus.

Neq; sequitur, si Concilium in hoc errauit, errasse etiam in deponendo Gregorio XII. Ioanne XXIII. & Benedicto XIII. Nam etsi Concilium sine Papa non potest definire nova dogmata fidei, potest tamen iudicare tempore schismatis, quis sit verus Papa, & prouidere Ecclesiæ de vero Pastore, quando is nullus, aut dubius est, & hoc est quod rectè fecit Concilium Constantiense. ADD E, quod Ioannes & Gregorius non inuiti depositi sunt; nam ipsi etiam sponte renunciarunt Papatu, vt patet ex actis Concilij Constantiensis sess. 12. & 14. Benedictus autem non cessit, sed post eius obitum Clemens VIII. successor ipsius cessit Martino V. quem omnis Ecclesia, vt verum Pontificem, venerabatur, id quod sufficit, vt Martinus esse posset verus Papa.

VLTIMO, adfert Hermánus Concilium Basileense, quod sess. 33. definiuit, fide Catholica esse credendum, Concilium esse supra Papam. Fuit aut̄ hoc Concilium indictum à Martino V. vt habetur sess. 1. & deinde ab Eugenio declaratum sess. 16. legitimè continuatum à sua inchoatione. Denique à Nicolao V. confirmatum cum actibus suis.

RESPONDEO; Conciliū Basileense legitimè inchoatum, sed illegitimè terminatum. Est autem mēdaciū expressum

Her-

186 Cap. XIX. De Conciliorum aut. Lib. II.

Hermannus, quod sit confirmatum à Nicolao V. cum actibus suis. Nicolaus enim, ut apparet ex Bulla eius, eidem Concilio annexa, solum confirmavit ea, quae egerat Concilium circa beneficia, & censuras Ecclesiasticas. Quæ autem definitio Concilium Basileense de sua auctoritate supra Pontificem nullus Pontifex probauit, sed reprobauit ex professo in primis Eugenius Papa, ut patet ex Concilio Basileensi sessiū deinde Leo X. in Concilio Lateranensi ultimo, sessiū. item Ecclesia tota, quæ Eugenium à Basileensibus depositum, semper habuit pro vero Pontifice; denique Basileenses ipsi, & Papa Felix, quem ipsi creauerunt; nam Papa Felix tandem cessit Nicolao Eugenij successori, & Basileenses, qui Lausannam Concilium transtulerant, tandem sese Nicolao subiicerunt, ut in eadem Bulla Nicolaus testatur. Multa alia argumenta proponi & solui poterant, sed ea soluta sunt in libris de Pontifice. Vide etiam quæ dicemus de Concilio Basileensi, in libro proximè sequente, cap. 16.



LIBER